



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

§. 28. Reginae Scotiae epistola in Patrum Conventu praelecta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

§. XXVIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1563.

*Reginæ Scotiæ epistola in Patrum  
conventu prælecta.*

Lotharingius hac mora offensus liber-  
tatem pariter adimi querebatur, *Pallav. c. 16. num. 7.*  
innuens, haud difficulter deprehendi  
posse, quod Roma expectarentur jussa de  
singulis, & minimis quibusve ne-  
gotiis, ac sola Romana aula, non au-  
tem Concilium judicaret, & decideret.  
Hic ergo cardinalis ut tandem plac-  
retur, die decima Maji etiam non ex-  
spectato Moroni adventu Congregatio  
habebatur, in qua recitata fuit Reginæ  
Scotiæ Epistola, quam Lotharingius  
Cardinalis exhibebat. In ea Regina  
declarabat, quod se Concilio submit-  
teret, ac perpetuam Sedi Apostolicæ  
obedientiam polliceretur: demum se  
excusabat, quod ex suis Præsulibus nul-  
lum ad Synodum Tridentinam mittere  
potuerit. Recitatis hisce literis Lotha-  
ringius Cardinalis Scotiæ Reginam am-  
plis elogiis honorabat, ac præcipue  
suum Religionis studium deprædicabat,  
fufiusque vexationes, quas sibi inde  
accerserat, enarrabat. Ad hæc pari  
eloquentia Promotor Synodi nomine  
respondit, adeo, ut tota hæc Congre-  
gatio partim in commendanda, & par-  
tim

*Hist. Eccles. Tom. XLVI.*

Q tina



Sec. XVI. A. C. 1563. tim excusanda Scotiæ Regina absumetur.

## §. XXIX.

*In Patrum conventu actum de Corruptelis in Ordinis administratione irrepentibus.*

*Pallav. l. 20. c. 16. n. 8.*  
*Psal. p. 381.* Die undecima ejusdem Mensis rursus alia habebatur congregatio, in qua de abusibus circa Sacramentum Ordinis irrepentibus agebatur, quam in rem quatuor conficiebantur capita, quæ vix proposita tantis controversiis erant obnoxia, ut hac super re nihil decidetur: porro Cardinalis Lotharingus hanc diffensionem edoctus quatuor alios proponebat articulos, quos tamen proponere ægre permittebatur.

## §. XXX.

*Lotharingii Cardinalis Oratio circa hoc argumentum.*

*Pallav. n. 9. Psalm. l. c. Lit. Legat. ad Borrom. 13. & 14. Maji apud Pallav. l. c.* Lotharingus hunc in modum perorabat, & primo loco dicebat rite statuendum, quænam sint hauriendæ novitæ de Episcopis promovendis, quæve dotes tam in ipsis, quam in aliis minoris notæ ministris Dominus Deus postulet: porro ad id varia Scripturæ exempla proponebat Cardinalis, ac postea electionem Episcoporum tunc a Romano Pontifice usurpatam, improbabat